



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XXIII. Athamantis & Inûs conjugum furiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

## SYMBOLVM XXIII.

Athamantis &amp; Inūs conjugum furiæ.

4. Metam.

Ethicè.

A parentibus pernicies derivatur in liberos.

**A**Thamas Eoli filius Thebarum rex, repudiata uxore *Nephele*, parente *Phryxi* & *Helles* ( de quibus alibi ) in matrimonium duxit *Ino*, *Cadmi* & *Harmonia* filiam ( de quibus supra ) Bacchi nutricem; ex qua geminos filios suscepit, *Learchum* & *Melicertam* seu *Melicerem*. *Ino* Jovis conjux, dudum omnem Cadmi profapiam perosa, & in ipsam præsertim *Ino*, inflammata, quippe alumni, scilicet Bacchi, nomine & numine superbientem; eam perdere statuit, communis feminarum genio causas inimicitarum ab arrogantia trahentium. Igitur ad inferos se confert, memor injuria, immemor dignitatis; ibi *Tisphonem*, Furiarum atrocissimam offendit; hanc ad Athamantis regiam ablegat, cum mandatis, ut ipsum pariter atque *Ino* conjugem, ad insaniam atque furem, tartareo veneno adigat. Accipit jussa infernalis Furia; nec mora: facem sanguine madentem arripit, cruenta se palla succingit, tortuosum serpentem pro cingulo adhibet; comites assumit *Lucretum*, *Pavorem*, *Terrorem*, *Insaniam*, & ita ad limina Athamantis regia defertur. Horrorem & diritatem venientis tremuerunt postes, expalluerunt fores. Sol ipse fugit. Portentis territi conjuges fugam parabant. Obstitit in vestibulo *Tisiphone*, excussaque cæsarie, quot capillos, tot colubros sparsit, quorun duos lingua micantes, faniemque vomentes in Athamantis & Inūs sinum conjectis; simûlque venena, quæ coxerat è spuma Cerberi & Hydræ pestilentissima, ad rabiem concitandam valitura, in præcordia miserorum intima conjectit, gyrataque sèpius in orbem face, tanquam re benè confecta, recessit. Senserunt illico furiale pestem conjuges; priörque Athamas insaniam corruptus, dum aulam perambulat, in silva se credit esse, & ad venatum famulos ac canes excitare. Fortè obviām venit regina, gemina cum prole; ille ratus lænam se duobus cum catulis conspicari, alterum ex ijs, *Learchum* arripit è materno gremio, vicino alludit saxo. Mater *Ino* sive formidine, sive pari furore acta,

mino-



minorem filium *Melicertam* amplectitur ulnis, citato fugit cursu, in cuiusdam rupis summitatem enititur, & inde se cum puero in undas Helleponsi, dat præcipitem. Miserante infelicum casum Neptuno; cùm periisse viderentur, in Deos marinos evasere, quorum illa *Lenothea* (Latinis *Matuta*) hic verò *Palemon* (seu Portumus aut Portumanus, quod portibus præesse crederetur) dictus, & à nautis est cultus.

## Ethicè.

Hanc fabulam, omissis parergis, disertus hujus ævi scriptor traducit ad parentes liberis suis perniciosos. (a) Adfero ejus verba. Quænam hæc phrenesis ac furor est? Rex Thebanorum Athamas filios suos venatur, & captos pro fera occidit; Vxor Ino, Mænadis instar exulans, Melicertam natum suum, longè charissimum, in montem præruptum rapitat, atque inde in subjectum mare excutit, eodem secum casu interieruntur:

Imminet æquoribus scopulus; pars ima cavatur  
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas:  
Summa rigent, frontemque in apertum porrigit æquor.  
Occupat hunc (vires insania fecerat) Inos  
Séque super pontum nullo tardata timore  
Mittit, onusque suum.

Hæc parentum insania est; filios Deo natos venantur, dum Mundum inauguran. Hic matrum furor est: & ipsæ in pericula insiliunt, & filios vix dum natos secum rapiunt in omne genus profundissimarum vanitatum. Vix lallare incipiunt, jam nobiles, illustres, generosi salvantur, & antè avos, atavosque possunt enumerare, quām nominare SS. Trinitatem. Vix primam togulam induerunt, cùm jam sciunt se esse dominos in domo. Vix per scamna repere didicerunt, cùm jam audias dicteria contumeliosè jacientes. Jam chartas lusorias ordine, jam tribunos & vice-tribunos distinctè, jam reges & suos; frondes & glandes; corda & tintinabula pernoscent accurate; cùm tamen nesciant quid B. Virginis, quid Christi in cruce suspensi sanctissima effigies portendat. Nonne hoc est liberos præcipites in mare periculorum, & in orcum agere? P. Georg. Stengel. c. 7. Labyrinthi, Part. I.

Addo ego ex libro Jobi c. 21. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum (Hebraicè, emiserunt quasi pecudes, parvulos suos) & infantes eorum exultant lusibus &c. & in puncto ad inferna descendunt. En præ-

P 2

cipitum,

(a) A parentibus pernicios dirivatur in liberos.



cipitium, en bārathrum, in quod blanditijs suis ac pravis exemplis parentes trahunt filios. Satyricus de his.

Si damnosa senem juvat alea: ludit & hæres.

Bullatus, parvōque eadem movet arma fritillo. Juven. 14.

De matribus Comicus in Heautom. *Matres omnes, filii in peccato adjutrices, & auxilio in paterna injuria ( ita justam severitatem interpretantur ) solent esse.* Ita sit, ut filii à patribus allidantur velut ab Athamante ad saxum: à matribus cum Ino, mergantur in profundum. Nam quid ex probrosis parentum moribus aliud consequatur, quam pessimi mores liberorum; & ex his tristissimus animorum interitus? Siracidis dictum est: c. 41. *De patre impio queruntur filii; quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Tum quia probrum patris transit ad posteros; tum quia cum sanguine ducuntur scelera, & digna his suppicia. Et ibidem: *Filii abominationum sunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum.* Nam per impios filios, sit abominabile & infame nomen parentum. Idem accedit ijs, qui cum improbis familiariter versantur, quorum pravos sermones & actus imbibunt; Neque enim solum ex malis nascuntur mali, sed consuetudine quoque & institutione transmittuntur vitia, discipulorum à magistris, subditorum à præpositis, civium à magistratu, familiarium à consortio; quibus omnibus modis vel ætas, vel mens infirmior in præceps devolvitur.

## SYMBOLVM XXIV.

Perseus raræ virtutis heros.

4. Metam.

Ethicè.

1. Capillorum retia in feminis. 2. Capillorum vanitas. 3. Victor cupiditatum. 4. Concupiscentia triplex. 5. Modus superandi pravas affectiones. 6. Inhospitalitatis poena. 7. Auspicatum connubium. 8. Acer disputator.

**P**Horcus Neptuni filius, rex Corsicæ & Sardiniae insularum, tres habuit filias, videlicet *Medusam, Sthenonem, & Euryalen*, quæ Dorcades insulas, in Oceano Æthiopico sitas habitârunt, non procul Hesperidum.